2

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE COLICA PICTONUM.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES REID,

SCOTO-BRITANNUS.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVI.

Eximio viro

DAVIDI MORTON, M.D.

In primoribus Jamaicae Medicis

Celeberrimo,

Omni liberali doctrina,

Ingenioque amoeno, elegante,

Politiſſimo

Amico ſuo,

Qualem neque candidiorem

Terra tulit, neque cui ſe ſit devinctior alter:

Et

JACOBO WOOD,

ARMIGERO,

De Elie, in Comitatu Fifae,

Viro integro, benevolo,

Propter beneficia

Quibus aſſidue ſe et conſanguineos ſuos

Cumulavit,

Hanc diſſertationem,

Memor et gratus,

D. D. DQ.

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

COLICA PICTONUM.

QUOD de hoc morbo ſcribere aggrediar, experientia aliqua, quam endemicae apud Indos Occidentales colicae quondam habui, cauſa eſt. Collatis inter ſe auctoribus, et obſervatione propria, qualiſcunque fuerit, edoctus nihil dubito, quin colica Caribbeenſis, Damnonienſis, tum quoque Rachialgia, Millreek, Belland, et reliqua quotquot ſunt colicae ſaturninae nomina, ſub eadem ſpecie omnia recte comprehendantur. Enimvero nulla earum eſt tam caeteris diſſimilis, quam eadem interdum ſibi; et hoc verum eſſe fatebitur, quiſquis unius cujuſlibet endemicae, vel a communi cognitoque principio oriundae colicae diverſa in diverſis ſymptomata contempletur

DEFINITIO.

DEFINITIO.

‘ Praeeunte ponderis vel moleſtiae in abdomine, prae-
‘ cipue circa umbilicum, ſenſu ; accedente dolore colico,
‘ primum levi, non continuo, et praecipue poſt paſtum
‘ aucto ; tandem graviore et fere perpetuo ; cum dolore
‘ brachiorum, et dorſi, in paralyſin demum abeunte.’
Clariſſ. Cullen. Synopſ. Noſol. Meth. Ed. 4*ta*, *Gen.* LIX.
Sp 2.

Alios ab initio protinus hic morbus ſummo impetu adoritur ; aliis, et hi longe plurimi ſunt, ſubdole obrepit, paulatim creſcens. Quod ubi fit, hic fere ſymptomatum ordo eſt. Vultus pallor luridus eſt. Etiam gravitatis, vel moleſtiae ſenſum circa, umbilicum, vel in epigaſtrio, vel rarius in hypogaſtrio aeger conqueritur. Alvus plerumque tarda eſt, et poſt paulo adſtricta pertinaciter. Ad haec adſunt anorexia atque nauſea, et poſt cibum ſumptum moleſtia abdominis augetur.

Interjecto ſpatio, vario in variis, qui antea remiſſior, et ex intervallis perlevis fuerat dolor, fit acerbus, ac prope perpetuus : Jamque epigaſtrio, vel umbilico potiſſimum infigitur ; ab utraque tamen ſede ad lumbos, dorſum, et urinae vias ſe lancinans, extendit.

Ubi umbilicus maxime torquetur, cruciatus, ceu tranſfodiente terebra, ſentiuntur, et cum umbilicus ipſe, tum abdominis integumenta muſculique valide diſtenduntur, aut contrahuntur ; non adeo aequaliter tamen, quin ſpeciem ſacci globulis, vel lapidibus etiam (tanta eſt durities

et

et tenſio) referti interdum prebeant * ; et aeger interea, ut quidam ſcribunt, inteſtina quaſi a pyloro et ano doloris centrum verſus fortiter attracta percipit †. In medio morbi impetu abdomen externum aliis tam dolet, ut tactum refugiat; aliis non modo non tactu exaſperatur, ſed aeger a preſſu validiore ſe parumper ſublevatum ſentit ‡. Ingraveſcente dolore, nauſea ad vomitum uſque intenditur ; rejectaque materies interdum ſubviridi vel nigricante colore eſt, gulam atque fauces rodens §. Plerumque vomitus dolores aliquantiſper mitigat ; et ſiquando paulo diutius remiſerit ; tum, niſi remedium aliquod, et hunc, et dolorem ſublevarit, amari ructus, et ſingultus, alias moleſti, nunc autem moleſtiores, in vicem ejus ſuccedunt. Sphincter ani quoque ſtringitur, clyſterem vix admittens. Accedunt teneſmus, dyſuria, vel aliquando

* Sauvageſius, et quidam e Gallis medicis,retractum abdomen quaſi colicae pictonum ſaturninae proprium propoſuerunt; id vero ſymptoma notarunt Huxham on Devonſhire Colic, Ed. 1724, p. 7. ; Warren in Lond. Med. Tranſ. Vol. ii. A. 7. Hillary, Obſerv. on the Diſ. of Barbadoes, Ed. 1766, p. 83. Chalmers on the Weather, and Diſ. of South Carolina, Ed. 1776, Vol. ii. p. 38 Sed ut in quaque morbi varietate ſaepius incidit, ſic in nulla perpetuum eſt. Vide Stoll. Rat. Medend. p. 1. cap. 12.

† Town on Diſ. of the Weſt Indies, 1726, cap. 11. S. 4. p. 88. Hillary, L. c.

‡ In colica quam vere ſaturninam habuerunt, abdomen fere nunquam tactu dolere ſcripſerunt Aſtrucius, et recentiores Galli ; ſed neque hoc perpetuum. Vide Bordeu Journ. de Med. Juin. 1762. Stoll. L. c.

§ Huxham, L. c. p. 6. Sed adeo aerem nunquam ipſe obſervavi.

aliquando iſchuria. Lenti frigidique ſudores erumpunt, et anima ſubinde deficit. De pulſu minime convenit inter auctores; in tormentis morbi atrociſſimis, alii ſedatum, alii citatum, alii praedurum, alii demum debilem et inaequalem eſſe, ſcribunt. Id vero conſtat, quod, et pulſuum frequentia, et ſitis, quarum utraque impetum morbi ſaepe comitatur, hoc remittente, maxima ex parte minuuntur. Quicquid alvus ſponte vel coacta reddit, id primo in *ſcybala*, ſtercoris ovilli vel caprini inſtar induratum eſt; et poſt aliquot hujuſmodi dejectiones, faeces non ita durae, at ſubvirides, aut ſubnigrae excernuntur. Id vero perpetuum eſt, ut alvus niſi repetitis frequenter vicibus moveatur, *ſcybala*, ſicut antea, parce et ſegniter demittat. Hic ſtatus per aliquot dies plerumque durat.

Deinde vero abdominis dolores ſenſim miteſcunt, cum ſudoribus magis quam antea copioſis et diffuſis; et interdum cum cutis pruritu, punctionibus, et exanthematis. Auctoribus Citeſio, Warren, et Chalmers, finem verſus colicae, dolores circa plantas, et in extremis pedibus, cum aliquo horum tumore, obſervari ſolent. Nunc etiam pectus, ſcapulae, interſcapulum, et ſpina dorſi, doloribus, hinc inde vibrantibus, cruciantur; necnon etiam, his remittentibus, ſenſus veluti pungentis acus in ſumma cute aliquandiu manet; vel it reditque cum inteſtinorum doloribus alternans. Exinde brachia atque crura dolent; et poſt paulo haec membra, ſed brachia potiſſimum, movendi vim amittunt, ſenſu plerumque ſuperſtite. Ab hac paralyſi extenuatur corpus, maximeque muſculi quidam humerorum ac manuum. Uterque muſculus del-

toides,

toides, et muſculus ille toroſus, quo pollex palmam verſus adducitur, admodum marceſcunt; atque aegri, uti graphice ſcribit Citeſius, ſua artubus vi aliquantiſper reſtituta, per vicos, veluti larvae, aut arte progredientes ſtatuae, pallidi, ſqualidi, macilenti, manibus incurvis, et ſuo pondere pendulis conſpiciuntur *. Pleriſque aegris vox, maturius forſitan mutata, hoc tempore maxime notanda, querula eſt, et quaſi puerilis.

Sic fere ſe habet haec colica, ubi vehemens eſt, et velut ex uno diuturniore paroxyſmo conſtat. Caeterum, aliquando alia, ſeu ab ipſa colica, ſive illius principio, nata, ſymptomata in decurſu accedunt: Qualia ſunt delirium, caecitas, convulſiones, ſurditas, icterus, aphonia, apoplexia. Interdum quoque diutius affligit, leviores, et repetitione ingraveſcentes habens exacerbationes; et in harum intervallis aeger dyſpepſia, alvo tarda, abdominis moleſtia, languore, quandoque ſpiritu difficili, et paralyſi tandem, infeſtatur. Interdum in ſummo doloris impetu, interdum in decurſu, vel etiam ubi leviter de inteſtinis aeger conquerebatur, convulſiones acceſſerunt. Eſt cum membrorum dolor, et vis movendi perdita colicos dolores antecedit; ſed hoc iis maxime, ut videtur, incidit, qui plumbum contrectarunt, aut vaporem ejus per ſummum corpus acceperunt. Singulis hujus colicae typis, utcunque variis, paralyſis ſequela communis eſt; non quod ſemper excipiat. Imo plures aegri unum et alterum graviorem paroxyſmum, membris parum vel nihil laeſis, evadunt. Si vero frequentius repetant

 acceſſiones,

* De Nov. et Popul. apud Pictones Dolore Colic. Bilioſ. Diatrib. Cap. 1.

acceſſiones, nec potentia nocens vitetur, id malum ſerius ociuſve ſupervenit: Quumque difficile ſanatu ſit, plurimaque corporis enervati incommoda ſecum adferat; cum miſera vita, tum matura mors plerumque ſequitur.

DIAGNOSIS.

Quanquam haec ſpecies colicae multa habet cum caeteris communia; videtur tamen neceſſarium ſuos cuique limites, quatenus liceat, ſtatuere.

A colica Spaſmodica Cullen, Sp. 1.—Haec celerius invadit, et dolor, caeteraque ſimul ſymptomata ad ſummum incrementum citius perveniunt: Aut, ſi tardius aliquando ingreditur, tum ex eo forſitan dignoſci poteſt, quod protinus inter initia circa umbilicum maxime ſuas excitat tragoedias. At fatendum eſt, inchoante morbo, abſolutam ac certam diagnoſin non ſemper facilem eſſe: In progreſſu autem ſpaſmodicae frequentius accidit, ut pulſus arteriarum ſint vehementiores, et, ni fallor, duriores. Pictonum vero colica etiamſi diu et vehementer cruciaverit, pulſus non ita incitat. Et judice Doct. Warren, hic morbus alienus eſt ab inflammatione Sed neque haec perpetua ſunt. Etſi enim ex hiſtoriis, et curandi modo quo plurimi utuntur, inferre fas eſt, huic rarius quam ſpaſmodicae, aut ſtercoroſum vomitum, aut inflammationem accedere; ſecta tamen cadavera certiores nos faciunt, inflammationem nonnunquam extitiſſe. Aliud eſt quod certius, etſi ſerius, hanc tum a caeteris ejuſdem ge-

neris ſpeciebus, tum forſitan a morbis quibuſcunque ſecernit. Paralyſin volo, et dolores membrorum tormenta colica excipientes.

A colica calloſa, et calculoſa, Cullen. Sp. 6. et 7.—Quae ſint inter has et noſtram ſpeciem diſcrimina clariſſime patebunt, characteris utriuſque notis, quales ab illuſtr. Culleno propoſitae ſunt, exſcriptis.

———‘ *Calloſa* cum ſenſu in quadam inteſtinorum parte ſtricturae, et ſaepe ante eam collecti flatus cum aliquo dolore, qui flatus etiam per eandem paulatim tranſiens evaneſcit; alvo tarda, et tandem non niſi faeces paucas liquidas egerente.’

———‘ *Calculoſa* cum duritie in quadam parte abdominis fixa; calculis quondam per anum dejectis.’

De ſtercorea, accidentali, et meconiali, non eſt quod ſollicitus ſim, cum ſuis quaeque cauſis ſatis innoteſcat.

Ab ictero calculoſo (quibuſdam colica hepatica dicto) differt, quod dolor non adeo epigaſtrio, et coſtis ſpuriis dextri lateris continetur, quin umbilicum torqueat, et utrinque excurrat. Cutis, etiamſi decolor et obſcure flava, non, ut in ictero calculoſo toties fit, pure flaveſcit, niſi quando ipſe icterus, qui rarior comes eſt, accedat. Si quid adhuc deſideratur ad abſolvendam diagnoſin, a dejectione concretorum petendum eſt.

A colica hyſterica quoque diſtingui debet. Hyſteriae ſymptomatici ſpaſmi, ſive ventriculum, ſive inteſtina vicinaſque partes afficiant, fugaciores plerumque ſunt; dimittunt, repetunt, nec in una ſede morantur; vel, ſi diutius uni cuidam loco ſe figunt (quod in illa Sydenhami acci-

diſſe

diſſe videtur), ſexus, ſeminia, et excitantes cauſae indolem declarant.

A dyſenteria tam evidenter differt, ut de limitibus indicandis ne cogitaviſſem quidem, niſi medicus Batavus Graſhuis neſcio quam anologiam inter hos morbos propoſuiſſet * ; quae autem, cum in aliis multis, tum in hoc maxime imperfecta eſt, quod, ſecus ac in dyſenteria, nec alvus cita, nec teneſmus, niſi perraro, ſub initio hujus colicae obſervantur.

A podagra vel arthritide.—Quanquam Sauvageſius, Aſtrucii, Tronchini, aliorumque auctoritatem ſecutus, quandam rachialgiae ſpeciem, nomine arthriticam, propoſuit ; mihi quidem non conſtat hos tam affines eſſe morbos. Poteſt fieri, ut aliquando ſecum complicati ſint; et quae colicam infert potentia, eadem ſimul podagram, diatheſi prius exiſtente, concitet Sin hoc verum fuerit, inquiet aliquis, non eſt quod cognatos eſſe negemus. At remedia fere contraria interdum deſiderant ; et fortiter ſtimulantia, quae podagram a ventriculo ac inteſtinis fugant, in colica pictonum aliena maxime habentur. Quicquid eſt, rarius evenit, ut podagra muſculis inter articulos porrectis tam infeſta ſit, aut paralyſin et contracturam manuum poſt ſe relinquat.

CAUSA PROXIMA.

Cum in caeteris, tùm in hac ſpecie colicae, ſubeſt contractio inteſtinorum praeter naturam vehemens, diuturna.
Docent

* De Colic. Picton. Tentam. Ed. 1752.

Docent abdomen diſtentum vel retractum, ſphincter ani rectumque clauſa, alvus pertinaciter adſtricta, et aegre *ſcybala* tranſmittens. Docent cadavera ſecta, in quibus colon, rectum, itemque reliqua inteſtina ſaepe, multis in locis conſtricta apparuere *. Ne ſilentio tamen diſſimulem, quod rem leviter intuenti hanc ſententiam infirmare videatur; alia, et forte plura cadavera, quae, referente Tronchino, ill. Senacus inſpexit, nihil quidquam vitii exhibebant †. Ex his vero, ſi quis inferret nullam contractionem extitiſſe, temere judicaret. Potuit enim fieri, ut vires corporis diuturno morbo, et ſedantis potentiae noxis, magis quam ejuſdem in inteſtina effectibus fractae penitus, et exhauſtae eſſent. Aut ipſa contractio a morte eſſet reſoluta. Et hic notandum, Senacum nullam omnino labem deprehendiſſe. Contra, in prioribus iis non contractio ſolum, ſed veſtigia quoque inflammationis conſpecta ſunt; quam ſecuta effuſio, partiumque conglutinatio ſine dubio effecerunt, quo minus contractio quae fuiſſet ſolveretur. Et huic opinioni fidem faciunt Clar. De Haen obſervationes; qui in cadaveribus inciſis inteſtina tenuia pariter ac craſſa, in aliis partibus dilatata, in aliis coarctata vidit; nec non etiam craſſa, et indurata, et ſecum vel vicinis partibus complicata. Quocirca, in ſubſequente capite, novimus, inquit, manere quandoque perpetuo contractiones, et a morte, vel ſolvi, vel pertinaciter permanere, etiam mutatione naturalis fabricae ſuae in ligamen-

toſam

* Lieutaud. Hiſt. Anat. Med. Part. 1. Obſ. 77. 433. 450. &c.

† De Colic. Picton. Cap. 19.

toſam cartilagineamque degenerare *. At ineunda ratio eſt paralyſis huic morbo propriae. Plurimi ſcriptores acrimoniam quandam humorum, maximeque bilis, pro fomite, vel et cauſa proxima habuerunt. Et profecto bilis aliquam ſubire mutationem, et ſymptomata nonnihil aggravare videtur. Tantum abeſt vero, ut haec ſemper ratione copiae rejectae ſubleventur, ut poſt elutum probe ventriculum, quanto magis iterato vomitu proventus bilis augeatur, tanto pejor interdum evadat morbus †. Et in ſumma, humorum vitium, qualecunque ſit, aut videatur, pro effectu potius quam cauſa habendum eſt. Vir celebris Aſtrucius novam hujus morbi pathologiam commentus eſt, quam vero leviter attingam, quia neque ſtabili fundamento nititur, neque ſymptomata commode explanat. Exiſtimabat, nempe, *ſtaſin* ſeu infarctum in cortice medullae ſpinalis, vel in nervis, ubi primum e ſpina digrediuntur, factum, et colicae, et paralyſis quae ſubſequitur, cauſam proximam eſſe; et nomen *rachialgia* ſententiae ſuae ſat conveniens indidit ‡. Verum eſt injuriam ſpinae quendam colicae hujus typum excitare poſſe, ut in meipſo ſum expertus; taliaque quaedam in monumentis medicis leguntur exempla §. Sed non ita multa ſunt; et in aliis longe plurimis nulla medullae ſpinalis, vel nervorum inde provenientium compreſſio, aut evidens, aut probabilis eſt;

namque

* Rat. Med. Vol. 3 Cap. 7. et 8.

† Warren, l. c.

‡ Quaeſtio Paris. Ergo Morbo Colic. Pict. dicto Venae Sectio in Cubito, Ed. 1751.

§ Vid. Sauvag. Sp. Traumaticam, et Bordeu Journ. de Med. Juin 1762.

namque ſi eſſet, qui fit, ut crura rarius quam brachia male habeant? Ne dicam quod vehementer erravit, cum aſſeꝛat (et hac aſſertione magna ex parte nituntur ratiocinia) dolores colicos, abdominis preſſu nunquam intendi. Haec, ut opinor, ſententia potior eſt. Cauſae remotae fere omnes, quarum poteſtas evidentior eſt, vim habent ſedantem, et plumbum maxime: Solent autem ſedantia, aut fibrarum mobilitatem protinus imminuere, aut abnormem motum prius excitare; prout vis ipſa ſedans major minorve fuerit; prout partis in quam agat mobilitas magis minuſve vigeat. Ita plumbum, atque acida, ſi modica vel admodum diluta ſumpta ſunt, inordinatos motus refraenant, et ſenſim diuque repetita naturales etiam minuunt. Ab iiſdem vero immodice aſſumptis, ventriculus ac inteſtina in maximas perturbationes conjiciuntur. Eadem quoque ſedantia, quae turbas intus cient, ſummo corpori admota, proprias vires recta exſerunt. Argumento ſunt diverſi quos in diverſis edunt effectus, pro quantitate et adhibendi modo. Ex his apparet, quare inteſtina ipſa a cauſis, quarum propria vis ſedans eſt, ſpaſmodicas contractiones concipiant. Neque difficile eſt intellectu, cur membra iiſdem objecta cauſis ſimul motu priventur. Quod pictoribus, *metallurgis*, caeteriſque qui plumbum tractant, non raro contingit. Alias vero, et ſaepius quidem paralyſis, nonniſi dolore inteſtinorum miteſcente, accedit, et alternis vicibus ſeſe mutuo excipiunt. An materia morbum faciens huc illuc transfertur? repugnat celeritas, qua ſuccedunt invicem haec mala, et ſedes paralyſis, non corpus univerſum, ſed brachia ſola, vel maxime tentantis. Ut *atoniam* ſpaſmus, ſic ſpaſmum

atonia

atonia ſequitur. Verique ſimile eſt, ſoluta inteſtinorum contractione debilitatem ſupereſſe, et hanc deinde ex conſenſu inter inteſtina reliquumque corpus exiſtente, cum membris communicari, et utriſque gravius et diutius incumbere, ob labem quam materia ſedans (ipſa quandoque remanens) in inteſtina imprimat. Cur autem eveniat, ut brachia prae caeteris partibus afficiantur, nemo unquam, quod ſciam, ſatis probabilem rationem reddidit; neque ego profecto auſim difficilem hunc nodum expedire.

CAUSÆ REMOTÆ.

Ex quo tempore Citeſius de morbo patrio tractatum evulgavit, multae diverſaeque ſententiae, circa cauſas remotas maxime diſcrepantes, literis proditae ſunt. Tronchinus octo numerat; et quot cauſas, tot ſpecies, ſine ratione proponit. Cel. Bakerus unum tantum principium agnoſcere videtur. Quotquot ſcitu dignae fuerunt allegatae recenſeam, cuique ſubjiciens quae proxima 'vero 'videri poſſint, neque addicta alterutri opinioni, neque ab 'utraque nimium abhorrentia, ſed media quoddammodo 'inter diverſas ſententias. Quod in plurimis contentio-'nibus deprehendere licet ſine ambitione verum ſcrutan-'tibus, perinde ut in hac ipſa re.'

Plumbum —Quin haec cauſa ſit efficaciſſima non poteſt eſſe dubium. Quaeſtio ſola eſt, qua via receptum noceat.

Salis

Salis, vel calcis plumbi quamvis minima quantitas, intus ſumpta, ac ſaepius repetita, alvum adſtrictam, dolores colicos, et paralyſin facit. Ubi plus ejus devoratur, protinus horrendas turbas excitat *. Par eſt effectus vaporis ejus, aut pulveris ſubtilioris, ſive per os, ſive per alios corporis meatus inhalati. Idcirco hic morbus plumbarios, figulos, pictores, maximeque fuſores plumbi (*ſmelters)* quippe qui vapores metalli, dum vim ignis vehementem patitur, parum evitent, tam frequenter graviterque tentat: Neque metallum ipſum, neque utique calx ejus extrinſecus admota, prorſus innocua videntur, ſi diu, aut dum calent, contrectantur. Quiſquis ſcire velit vias omnes ac modos, quibus hoc venenum ſe inopinum in corpus inſinuare poſſit, Bakeri ſcripta legat. Qui auctor optime quidem meruit, quod rem adeo momentoſam et intactam fere prius ſolertiſſime conſectatus eſt. Nequeo tamen quin credam, et Damnoniorum, et caeteras huic maxime affines colicas, ex aliis principiis aliquando naſci. Quae habeam argumenta poſthac afferentur.

Febris intermittens imperfecta criſi ſoluta, auctore Tronchino, inter cauſas eminet. Olim et nunc etiam vulgo creditum eſt, corticem Peruvianum intermittentes vel remittentes febres propere fugantem, obſtructiones, dolores, et quotquot abdominis mala curationem ſequerentur, progignere. Quod vero priores remedio, id hodierni doctiores febris ipſius acceſſioni nimium ad interiora ſanguinem cogenti tribuunt. Vidi equidem, dum in Jamaica

C peregrinatus

* Videſis Van Swieten Com in Boerh. Aph. 1060. De Haen l. c. Tronchin lib. cit. cap. 10. Tiſſot apud Sandiſ, Theſaur. T. ii. Baker in Lond. Med. Tranſ. Vol. i. Art. 13.

peregrinatus ſum, exempla non pauca hujus colicae poſt febres intermittentes cito profligatos protinus accedere. Non ideo tamen ſum perſuaſus, aut febrem, aut corticem qui depulerat, cauſae fuiſſe. Quid enim? aliter expectandum foret hunc morbum in paludoſis Angliae pagis, pariter ac in Damnonia, endemicam eſſe; quin et ante invectum id remedium nobile animadverterunt medici colicam, atque paralyſin non raro febrem intermittentem ſequi *.

Potus acidi, aut non omnino, aut non probe fermentati.— Multo limonum acido, quod aqua dilutum, Indiae Occidentalis coloni affatim bibunt, colicam ibi frequentiorem plures tribuerunt. Citeſius olim ſuſpecta habuit vina auſtera et acerba ex fructu immaturo crudoque; et, judice Huxhamo, pomorum ſuccus, utpote qui tartaro abundet, eoque, ut is exiſtimat, mucum inteſtinorum abſtergat, humoreſque corrumpat, colicae Damnoniorum cauſa eſt. Contra, Bakerus non ipſius *pomacei* indolem, ſed plumbum quo vitiatur, culpat; et cum cauſam indicet efficaciorem, tum certe multas Huxhami rationes infirmat. An igitur cenſemus hos liquores naturaliter omni vitio vacare? Citeſius ſcribit, colicam in Pictavia, aliiſque multis Galliae et Germaniae provinciis, ſaeculo 16mo, quaſi revixiſſe, cum per multos annos fere deſiiſſet †: Et Huxhamo

* Vid. Caſus a Citeſio Diatribae ſuae adnexos. Fernel de Febr. L. iv. C. 10. et de Part. Morb. L. 6. C. 1.; et Coiter. apud Schenk. Obſ. Med. Ed. 1644, p. 89. Spigel de Semitertiano, L. 11. C. xiv. et xv.

† L. c. Cap. ii. iii. Haud nova fuit iſto ſaeculo; nam et Aſtrucius, et Citeſius ipſe, multa retulerunt teſtimonia, quae eandem colicam

hamo teſtante, Damnonienſis colica annis 1722 et 1724 inter ſuos populares late evagata eſt. An his annis praecipue inficiebantur veneno pocula? Affirmatum eſt caeterarum incolas provinciarum, quae abunde ferant poma, colicae immunes eſſe, tametſi *pomaceo* tenui et acerbo ſibi indulgeant. Unde ſequi videretur in Damnonia ſolummodo hunc potum plumbo infici. Certiorem me fecit indigena, in Septentrionali Damnonia, vix unum prelum, aut preli labrum, aut muſtei liquoris receptaculum, vel minimum plumbi habere. Reliquum eſt, ut figularia, quibus utuntur vaſa, quippe quae calce plumbi illita ſint, noxam impertiant. Sed hac humilioris tecti ſupellectile priores illos, qui impune bibunt, non uti, nullo modo credibile eſt; eademque pariter corrumpendi fraus deteſtabilis ubique, ut fertur, invaluit *. Adde, quod Suitenius, de cujus acumine nemo dubitabit, cum in aqua pluviali venenum hoc detegat, fatetur ſe quaeda mcolicae pictonum exempla vidiſſe, in quibus nulla via, qua id ingrederetur,

cam ac paralyſin prioribus ſaeculis obſervatam fuiſſe confirmant. Paulus vero, qui inter primos de ea ſcripſit, tanquam pene novum morbum epidemicum exiſtimavit. Idemque de auctoribus quibuſdam poſterioribus dici poteſt. Jordanus haec habet, 'In Italia certe jam-'dudum evanuit, (ut verum ſit morbos oriri, durare, et deſinere certis 'locis), cui rei fidem facit vel hoc, quod neque per Gallias vel Italiam 'praeceptores noſtri in publicis lectionibus colicae in paralyſin tranſe-'untis mentionem habuerunt.' Schenk. L. c.

* Ut in hac inſula, ſic apud Indos, ſi valent Doctoris Hardy experimenta et ſententia, vaſa figularia plumbo obiita inſtar omnium colicae cauſa eſt. Sed in his coloniis hominum frequentia crevit; colica tamen rarius incidit. An rarior talium vaſorum uſus?

ingrederetur, diſcerni poterat *. Porro cognitum eſt cuique mediocriter perito, plurimos eorum qui maxime in plumbo verſantur morbum effugere. Et Strack, exempla 18 exponit, in quorum nulla vel minima, ſi fidem huic habeamus, plumbi ſuſpicio erat ‡. Non eſt negandum, quin exiſtat ſeminium quod faveat ejus acceſſioni; quanquam quale id ſit non clare conſtat. Crediderim equidem colonos noſtros eo magis oppportunos eſſe, quod fervore coeli, et intemperata vivendi ratione corpus totum, praecipueque inteſtina, infirmata habent. Quo poſito ſeminio, non video cur liquorum acidorum immodicae potationes vi propria, quatenus acidae ſunt ſedantes, colicam non excitent. Etiamſi pomorum, ſicut aliorum fructuum, ſuccus recens, ſubdulcis, proprio fermento, aut ob admiſtam bilem, alvum ſaepe moveat: Qualis vero acerbior eſt, ut limonum, et pomorum quoque, poſtquam acceſſit aetas, potius aſtringit.

Spiritus ſacchari recens diſtillatus adnumeratur ab Hillario, Bakero, aliiſque. Contra quos omnes dicendum breviter exiſtimo. Africani in Occidentali India ſervi, contra quam aſſeruit auctor proxime citatus, rarius colica conflictantur: Et in hac re mihi aſſentientem habeo ingenioſum Quier ||. Hi vero ſpiritum ſacchari recens diſtillatum (cum plumbum maxime, ſi unquam, tenet) ſurripiunt, potitant. Is vero ſpiritus, quem coloni Europaei

* Comm. in Boerh. Aph. 1060. 1062.

‡ Obſerv. Med. de Colica Picton. Ed. 1772.

|| Monro's Letters on Diſeaſes of the Weſt Indies, Lett. 6.

ropaei praedicto liquori acido, nonniſi modice commiſcent, plerumque ſatis vetuſtus eſt; et profecto noſtrates, qui recentem pariter ac vetuſtum important, et ſaepe meracum bibunt, ſi tam perniciosſus eſſet, aeque periclitantur. Hoc morbo cruciati ſolent ad ſpirituoſos liquores, et hos quidem fortiores, confugere. Exinde tormina cito ſublevantur, ſed brevi poſt redeunt crudeliora. Itaque, aggravando colicam, paralyſis ingreſſui favere poſſunt. Neutra tamen, quantum aſſequor, ſuum hinc primordium ducit.

Frigus.—Narrantur exempla quaedam frigoris in hoc morbo excitando vim confirmantia. Iis tamen aſſentiendum eſſe arbitror, qui negant frigus ipſum colicam, quam excipit paralyſis, movere poſſe, niſi propria hujus cauſa prius adfuiſſet. Quod propterea veriſimilius eſt, quia non unum ſemper, ſed plures ex eadem familia, a frigore, ut alios ab *arthritide*, hunc morbum perpeſſos ſcriptum eſt *. In calidioribus plagis quidem, ubi robur corporis et generis nervoſi vigor admodum imminuuntur, haud ſcio an vis frigoris, quam pro gradu gravior, potiſſimum debilitati quae febrem ſequitur accedens, plus valeat. Tetanum aliquando parit; quidni colicam, et pediſequam hujus paralyſin? Similem vel eandem colicam *Surinamenſes* ab intemperie coeli praecipue, ut fertur, contrahunt.

Diatheſis arthritica.—Inter podagram et hanc colicam diſcrimina quae pateant ſuperius indicavi; ideoque non opus

* Tronchin. L. c. Cap. 12. 13.

opus eſt eorum hic rationes expendere, qui alteram alterius cauſam eſſe proponunt. Id forſitan fefellit, quod idem principium, et colicam generare, et podagrae ſimul acceſſionem movere poſſit; quod eadem quoque *tonica* reſiduam ab utraque infirmitatem ſaepe levent. Et his rationibus adducor ad credendum, acida, cum *podagram*, tum colicam interdum excitare, potius quam hanc ab *arthritica diatheſi* ſola provenire. Prior Muſgravii, Huxhami, aliorumque ante hos ſcriptorum ſententia fere eſt; alteram Tronchin, et acrius etiam Strack tuentur *. Neutiquam audiendus eſt Tronchin, cum rheumatiſmum quoque ſine cauſa accuſat.

Hactenus de potentiis iis dictum eſt, quae cum aliqua ſaltem veriſimilitudine ſuſpectae fuere. Ecqua tamen earum praeter unum plumbum vera cauſa ſit, ſtatuere non auſus ſum; ſed propriam opinionem diffidenter, ut decet, interpoſui. Ne multis morer, omitto ſcorbutum, et melancholiam, quarum utraque humorum intemperies, tum hunc, tum innumeros prope morbos facere, olim ſine ratione credebatur; itemque animi *pathemata*, et metalla quaedam, arſenicum puta, hydrargyrum, et cuprum; quae ſingula, quicquid habent noxii, adſtrictam alvum una cum paralyſi haud pariunt.

PROGNOSIS.

* Hic quidem arthritidem vagam, quam, cum colicae, tum miliс aliorum morborum parentem eſſe, docet, a podagra communi diſtinguendam voluit; qualis vero ſit non intelligo: Id ſaltem perſpicuum eſt, colicam in pleriſque eorum quos recenſuit caſuum, primarium morbum fuiſſe: Lib. cit. cap. 2. paſſim.

PROGNOSIS.

Si recens morbus eſt, et inteſtina ſola occupavit, ſaepius diſcutitur. Verum, ſeu quia plerumque non ſatis a cauſa caveatur, ſive quod haec in penetralibus corporis reſideat, infirmitatem nunquam non a dolore relictam augens, facile recidivus eſſe conſuevit. Inflammationis notas cadavera ſecta nonnunquam prodiderunt. Eſt igitur quod hunc exitum metuamus, ſi adſunt durior pulſus, et dolor alicui abdominis parti ſolito pertinacius infixus, vel et forte vehementior, contumacior, et ſtercus redolens vomitio. Mali morbi teſtimonia ſunt convulſiones; itemque *apoplexia*, quae rarius, aliquando tamen, ut fertur, accedit. Utrovis horum *epigenomeno* res deſperationem non habet; ſiquidem memoriae traditum eſt aliquos evaſiſſe. Ut noxae, ſic periculi magnitudinem teſtantur caecitas, *aphonia*, et caetera quotquot ſymptomata caput et nervoſum genus graviter affectum indicant. Talia fere ſunt ſigna morbi periculoſioris. Caeterum non tam ſaepe morte quam membrorum reſolutione finitur. Et hanc praeſagire licet, ubi, aut dum levia ſunt tormina, aut remittentibus quae modo atrocia fuiſſent, aegrotans ſudore diffluit, et humeros, dorſum, brachia, vel crura dolet. Adorta jam tum paralyſis longo plerumque ſpatio detinet, et aegre curatur.

CURATIO.

C U R A T I O.

In hoc, aliter atque in aliis quibuſdam morbis, evenit, ut graviſſimi doctores non ratiocinatione magis quam curatione inter ſe diſſideant. Et, quod mireris, horum cuique ſua eſt par medicina malo. In quodam Lutetiae Noſocomio (la Charitè) quo plurimi hoc morbo laborantes ſe recipere ſolebant, mos diu valuit emetica fortiora, atque enemata acria alternis vicibus adhibendi; ſanguinis miſſionem vero ex toto prohibebant. Nec defuerunt ſcriptores, qui iſtam curandi methodum exemplis ac argumentis tuerentur. Contra, Aſtrucius, aliique medici non ignobiles, ſanguinem mittendum cenſuerunt. Haenius maxime lenioribus inſiſtit medicamentis, contenditque oleum, et alvum mollientia, opio adjuta, tutius et perfectius, ſi minus celeriter, curationem abſolvere. Noſtrates quoque in diverſas ſententias conceſſerunt. Doct. Warren opio primas detulit, a ſcalpello, et emeticis, fere abſtinens; neque cathartica quidem ante ſublevatum ſpaſmum permittens, et tum leniſſima demum. Ad Pariſienſem methodum inclinat ill. Baker, et hic propius Huxhamo accedit, qui parcus cruoris erat, emetica iterum tertioque praecipiebat, et catharticis non mitiſſimis crebro utebatur. Quo pacto dirimi, aut componi poteſt haec controverſia? Non eſt quod dubitemus, quin fortior iſta curatio, quae miſſionem ſanguinis excludit, multis in caſibus bene ceſſerit. Id enim teſtantur medici, tum in hoc morbo plurimum verſati, tum omni prae-

praejudicio, ut videtur, liberi. Imo crediderim eandem hanc curationem, ut ſaepius expeditiſſimam, ſic interdum neceſſariam fore ; praecipueque iis fortaſſe, qui plumbum tractando, vel inhalando hunc morbum contrahunt. Nam apud tales videtur mos iſte praevaluiſſe. Quam vero multum abeſt ut omnibus convenire exiſtimem. Argumenta haec ſunt. Quae Indis Occidentalibus incidit colica, acribus, aut vomitoriis, aut alvum purgantibus exaſperatur. Hoc Hillarii experti monitum eſt, quod egomet quadantenus comprobare poſſum, cum invenerim leniora melius ut plurimum votis reſpondere. In nonnullis hujus inſulae provinciis, neſcio an cunctis, cryſt. tart. atque id genus modice purgantia nunc celebrantur. Et, quod non minimum ab eadem parte ſtat teſtimonium, in Noſocomio ſupra dicto Pariſienſi jam pridem tart. emetic. in locum validioris quod quondam praetulerant medicamenti ſubſtituerunt. Itaque probatior nunc videtur, quae leniter procedit curatio ; et hanc exponere aggredior. Sed pauca prius dicenda ſunt

De miſſione ſanguinis—Haec potius incommodi quod ſupervenire poteſt, quam ipſius colicae, remedio eſt. Qua in re maxime conſentiunt auctores. Etenim qui eam celebrant, aut parum ſtabili nituntur theoria, aut ita laudant, ut tamen metuere videantur. Idque beneficium non minimum eſſe credo curationis, quae lenia medicamenta proponit, quod hoc auxilium vim corporis imminuens, et inde forſitan paralyſi viam faciliorem parans, non ita ſaepe deſideret. Quid igitur eſt ? Ut in aliis morbis multa in praecipiti periculo recte fiunt, alias omittenda ; ſic in hoc detrahendi ſanguinis occaſio interdum

D eſſe

eſſe poteſt. Veluti cum colici dolores, viribus non ante imminutis, protinus adoriuntur, et tunc in uno loco remanent, pulſu ſimul valido, aut duro, cum notabili pyrexia. Quae demum ubi incidunt, ſanguis, nec cunctanter, mittendus eſt; utpote cum ſit adverſus inflammationem praeſidium maxime praeſentaneum, tum quoque relaxando ſpaſmo, quoties hic tenſioni tonoque arteriarum junctus eſt, aptiſſimum.

De emeticis ambigo quid dicam. Adſunt plerumque vomitiones ſpontaneae permoleſtae; quales viderentur eorum uſum plane indicare. Quin et, intermittente vomitu, ructus, cardialgia, et ſingultus eo vehementius interdum urgere ſolent. Emetica fortiora quanti fecerint Pariſienſes ſupra comprehenſum eſt. Huxhamus inſuſ. ipecac. (quicum aliquando componebat vin. aut tart. emet.), initio morbi alternis diebus praeſcribebat; idque ad tres quatuorve vices; et gravia affert argumenta, quorum quod fere maximum eſt non praetermittendum cenſeo. Ab emetico, inquit, dolores artuum ac humerorum ſaepe ad tempus ceſſant Plerique demum, ne plures perſequar, hoc remedii genus commendarunt Cui tamen alieni ſunt De Haen, Warren, eoſque ſecuti medici, quorum omnium rationes, quamvis adverſus fortiora et crebrius iterata vomitoria ſat valeant, me non convincunt quin credam lene aliquod, ſordibus ventriculi eluendis aptum, ſemper profuturum: Et id quidem fere concedunt. Sed non video quamobrem prohibeatur gran. i. vel paulo plus tart. emet. quo certius id attingatur; utique cum ſit eximie antiſpaſmodicum, nec raro poſt vomitum alvum quoque moveat. Qui paratum ex antimonio

antimonio medicamen reformidant, his infuſ. flor. chamaemel. vel ipecac. accommodatius eſt. Mihi apud Indos Occidentales medicinam facienti, ſolenne erat alterutrum horum inter initia ingerere, nec ullum inde incommodum oriri animadvertebam *. Haec tanquam incerta propoſui, ſeu qualia pro re nata utenda ſint: Quae vero ſequuntur prope omnibus conveniunt.

Tria videntur exſequenda conſilia, ſcilicet,

I. *Conſtricta inteſtina relaxare.*

II. *Eorumque motum periſtalticum citare et ſuſtinere.*

III. *Symptomata graviora, quotquot colicam comitentur vel excipiant, depellere.*

1. *Conſtricta inteſtina relaxare.*—Maxime ad hoc caput pertinent opium, veſicatoria, emollientia.

Opium auctores pene omnes utile ac neceſſarium habent; utpote cum ſpaſmum doloreſque levet, et non modo catharticorum effectum non impediat, ſed etiam aliquando certiorem reddat. Quinimo, ſi expertiſſimis fidem habeamus, tantum abeſt ut paralyſi id faveat, ut potius occurrat. Quod malum quidam non ſine cauſa metuentes, aut prohibuerant ex toto, aut exiguum ejus cum *cardiacis* commiſcere monuerant. Utcunque ſit, hoc auxilio carere non poſſumus, et quantitatem non mediocrem, tum res deſiderat, tum aeger ſine noxa, qualem alioquin

* Vitriolum caeruleum ita datum, ut vomitionem cieat, a Doct. Chalmers fuit propoſitum; ſed uſus hujus medicamenti nondum, quod ſciam, ab aliis receptus eſt.

alioquin parit, plerumque fert. De tempore, atque adhibendi modo, non ita conſtat Alii ab initio protinus, vel ſolum eluto prius ventriculo, id praecipiunt; alii catharticis interponunt; alii denique cathartica cum opio varie componunt; quorum nullius conſuetudo perpetuo, ut opinor, eſt obſervanda; ſed habenda potius morbi ſymptomatum, et circumſtantiarum ratio. Itaque, ſi primo medici adventu dolor, ut fere ſolet, vehementiſſimus eſt, protinus, aut quamprimum poſt auxilia jam praepoſita (ſi horum occaſio fuerit) adminiſtrata, opium recte datur: Et quo minus offendat ventriculum, formula ſit perexigua, aut gratum aliquod adjiciatur, et hoc exiguae quoque molis. Quod ſi citius rejiciantur horum aliqua per os ſumpta, ſatius videtur opium deinde per inferiora injicere. Hoc modo enim, ſi emollienti alicui, nec nimio, liquori miſtum fuerit, diutius plerumque retinetur, et nonnihil affert levaminis. Et ſic ex debitis intervallis porro repetendum ſit hoc medicamentum, donec dolores atque vomitum ſedando catharticis locum fecerit. Eſt autem cum dolor non tam vehementer urget, ſimul autem alvus pertinaciter adſtricta maturiorem catharticorum uſum videtur poſtulare. Quod ubi incidit, haec ſub initium cum opio compoſita, aut paucis horis poſt id ſemel datum, adhibere convenit.

Veſicatoria, qui in colici doloris impetu propoſuerunt, non niſi paucos invenio. Non aliud tamen, credo, valentius eſt externum ſpaſmi remedium. Quare unum ſatis amplum veſicatorium ſuper abdomen, qua dolet maxime, ſine mora imponendum vellem. Praeſtat cataplaſmati, quippe quod interdum prae pondere moleſtum eſt,

et

et difficulter ad ſummam cutem ſic arcte continetur, ut calore foveat. Tantumque abeſt ut impediat fomentorum balneorumque uſum, ut mutuam ſibi opem ferant; et cum haec rarius per ſe ſatis ad ſpaſmum ſublevandum valeant, tum conferunt eodem, et ſimul efficiunt, quo minus illud urinae vias, prae conſenſu ſaepe laborantes, gravius irritet.

Emollientia praeſtantiſſima ſunt aqua calida, et olea blanda. Aquae potiſſimum debetur vis emolliens fomentorum, et clyſterum mitiorum; quae utraque, dum perſtant dolor et ſpaſmus, aſſidue ſunt iteranda. Balneum res deſiderat, idque praeſentaneum quidem levamen affert; ſed, teſtantibus Warren aliiſque, ſimul ac aeger emergit dolores recrudeſcunt. Quod ut ita ſit, non ſatis cauſae videtur, quin ſolatium exinde petamus, quoties adhiberi poſſit. Et quo longiores ſint induciae, protrahatur tempus balnei, et poſt hoc continuo et indeſinenter abdomen ipſum foveatur. Videntur haec fomenta, opii per inferiora immiſſi viribus aptiſſime auxiliari; nec ullo tempore, dum dolor ac ſpaſmus adſunt, ex toto omittenda eſſe. Cum vero opium per os ſumptum vomitu non rejectum eſt, tum clyſteres alvum mollientes, et cathartici, et fomenti vicibus commode funguntur. In hunc finem decoctum fol. alth. flor. chamaem. ſem. lini vel ſimilium, cui aliquantum olei blandi fuerit adjectum, convenit. Emollientis nomine venit hic memorandum oleum mite, quod multum ſuis aegris devorandum eruditus De Haen praecipiebat. Nullus dubito, quin proſit extrinſecus admotum, per inferiora datum, vel etiam, ſi ferat ſtomachus, per os ſumptum. Sed in Scotia, et, ni fallor, in Anglia quoque,

quoque, pauci inveniuntur, qui tantum ejus non faſtidirent; eoque ſum alienior huic adhibendi modo, quod Viennenſis medicus Stoll, cum id paulo copioſius ingereret, cardialgiam, aliaſque moleſtias, inde exaſperari putabat.

II. *Eorumque motum periſtalticum citare et ſuſtinere.*—Sed aliis opus erit medicamentis, quae alvum perpurgent, et obſtipationi ejus facile recidivae medeantur. Quonam haec tempore in uſum vocari debeant, quam accuratiſſime potui, praemonitum. Huc addo, quod eouſque tuto differenda videntur, donec ventriculus ferat, et dolores aliquantum ſedentur; modo fuerint aſſidue ac ſedulo adhibita emollientia jam recenſita. Ad cathartica quod attinet, tenendum eſt, potiora eſſe leniora, ſaltem haec ſemper prius tentanda. Suppetunt bene multa *eccoprotica* ſatis idonea, quorum quodque ſuos habuit patronos: Sed contineo me paucis Doctores Warren et Heberden, Sal. Cath. Amarum, cujus pauculas drachmas, frequenter dabant, fere efficaciſſimum invenerunt. In Coloniis, oleo ricini utuntur, quod, ut recens ſit, et ſine calore expreſſum curant prudentiores. Cryſtalli tartari minus ingratae ſunt ventriculo, in quo videntur, ſi exiguo liquoris dilutae fuerint, cito ſubſidere; ideoque non tam facile, quam alia pleraque cathartica, vomitum ciere *: Quare tum in hac, tum in caeteris colicae ſpeciebus, non immerito a multis anteferuntur. Auctores quos maxime ſecutus ſum monuerunt, his vel ſimilibus uti (opio ſi tormina id poſtulant interpoſito) quamdiu alvus ſegnis maneat; prohi-

* Ill. Cullen. Prim. Lin: de Colic. Vol. ii. p. 33.

prohibentque ad fortiora decurrere; utpote quae ſoleant dolorem exaſperare, nec ſuum munus ſemper vel certius exſequantur. Quibus ut aſſentiar experientia propria, quantulacunque haec fuerit, adducor; non tamen ut negem aliquos ſubinde caſus occurrere, in quibus paulo validius catharticum deſideretur: Veluti, ſi poſt triduum vel quatriduum, adhibitis jam lenioribus ſupra poſitis, alvus nondum perpurgata fuerit; tum jalapium cryſtallis tartari probe admiſcere, vel clyſteres terebinthinam, aut ſal marinum habentes, infundere licebit. Quicquid enim ſit in caeteris auxilii, morbus non ante penitus ſubigitur, quam alvus libere reſponderit. Clar. Tiſſot, poſt alia incaſſum tentata, vaporem ex decoct. emolliente per inferiora immiſſum plus ſemel efficacem expertus eſt. Mitto calomelas, clyſterem e necotiana, et multae aquae ad inteſtina diſtendenda infuſionem, quia rarior eorum in hac morbi ſpecie uſus eſſe videtur; neque forſitan idonea ſunt, niſi quando oriantur ilei ſymptomata: Quo in caſu par nodo cuneus eſt quaerendus.

III. *Symptomata graviora, quotquot colicam comitentur vel excipiant, depellere.*—Ex his quaedam non alia deſiderant remedia quam quae ante propoſita ſunt, ſed haec fortaſſe impenſiore cura adminiſtranda. Iſchuriae et convulſionibus levandis apta ſunt antiſpaſmodica, nec horum ullum opio praeſtantius. Quoties pertinacior urget vomitus, nec emetico, neque opio ſedandus, non alienum erit ſalinas potiones, uti quorundam mos eſt, praecipere, ita ſumendas, ut in ventriculo efferveſcant. Plus negotii eſt, ſi acceſſit paralyſis, aut quae generis ejuſdem mala ſunt, *caecitas, aphonia, coma*. Quantum ad haec pertinet, veſicatorium

ſicatorium inter ſcapulas, vel capiti impoſitum, aliquid pollicetur commodi: Caetera vero auxilia his cum paralyſi communia ſunt. Dorſi membrorumque dolores, ut colica tormenta plerumque excipiunt, et ſublevare videntur, ſic ipſi ſolent in paralyſin deſinere. Quamobrem dubitandi locus eſt, num debeat promoveri ſudor, qui tranſlationem iſtam doloris comitatur. Potiones quidem dilutas calidas, et ſitis et morbi ratio poſtulant: Conveniuntque decoct. avenac. emulſ. commun. ſer. lact. aut aqua ab infuſa mentha vel ſalvia gratior; et ſubinde, ſi morbus aegrum trahit, quae plus nutrimenti praebent, modice danda ſunt. Non ideo tamen vellem, aut harum potionum vi majore, aut potentioribus quae nonnulli laudant ſudorificis, provenientem jam ſudorem vehementius urgere. Nam ſudor indicium, et effectus eſt relaxationis quae, ut mea fert opinio, rationem progreſſae contractionis ſequitur. Sed hoc in medio relinquam: 'Ultra enim quo progrediar, quam ut veriſimilia videam, non 'habeo.' Optandum eſt, ut innoteſcant praeſidia quae paralyſin avertant, aut, ubi primum accedit, reprimant. Nulla vero, quod ſciam, adhuc patent. Poſtea quam penitus inſedit, decurritur ad varia ſtimulantia; quorum maxime celebrata ſunt elix guiacin. decoct. lignor. olea aromatum et reſinarum, balſam. Peruv. mercurius, antimon. crud. camphora: Ad haec fricatio, veſicatoria; et unguenta *nervina* dicta, quibus, tum ſpina dorſi, tum affectae partes illiniuntur. Quae vero omnia interdum ne hilum proficiunt, interdum adjuvant, at curationem haud abſolvunt. Nihil aeque prodeſt atque thermae Bathonienſes.

enſes. Has igitur aut ſimiles adeat aeger, ſi res ejus et locus ſinunt. Sin minus, juvabit machinae electricae vim modicam experiri : Siquidem hoc auxilio quidam, unctionibus ſtimulantibus, et brachiorum aſſidua exercitatione, ſimul utentes, in integrum fuerunt reſtituti *.

Proprio digna capite medicina conſervatrix eſt : Sed pauca nobis in praeſentia de hac re dicenda ſuperſunt. Qui jam a morbo convaleſcunt, his ſive paralyſi afficiantur, ſive malum id evaſerint, conveniunt cibus nutriens, ad concoquendum facilis, modicus tamen, ne ventriculum nimis oneret ; potus generoſus, nec acorem, neque flatum gignens ; aſſidua, quantamque vires patiantur, exercitatio. Expedit equo vehi quotidie ; nihil enim magis inteſtina firmat. Calidioribus paulo veſtimentis contra frigus muniendum corpus eſt. Ad haec, ubicunque alvus parum reddit, aut tardius quam ex conſuetudine fertur, dejectio a medicamento aliquo petenda eſt : Et in hunc finem ol. ricin. cryſtal. tart. gum. *ferulacea*, aut, quae ſtomacho perinfirmo aptiora ſunt, elix. ſacr. vel pilul. ruf. debitis ex intervallis commode praecipiuntur. Quinetiam, ſi vires ventriculi corporiſque admodum ſunt fractae, nec fontes ſalutiferos adire contingit, juvabit

* De Haen, L. c.

ferro uti cum amaris, quae aliquid habent aromatis, compoſito. Alumen propoſuerunt Graſhuis et Percival; quorum hic grana xv. vel xx. cum ſaccharo, aut demulcente aliquo, aut, ubi dolor urget, cum Philonio Londinenſi, ter quaterve in die praeſcribit. Dolorem mitigat, inquit idem, et cum leniter alvum movet, tum ventriculum atque inteſtina roborat.

Quibus dum plumbum tractant, aut vapori ejus objiciuntur, propius imminet periculum; hi debent multo juſculo pingui, ſero, butyro, oleove in cibis uti, a noxis frigoris cavere, et alvum quotieſcunque conſtiterit ſollicitare. Haec, velut efficacia praeſidia, video inculcari. Caeterum ſummi momenti eſt curare, ut os, nares, et ſummam cutem, quam minime poteſt ea noxa contingat; neve qui plumbum igne vehementiore liquant, aut calcem conterunt, in loco clauſo, vel adverſo vento ſuum opus aggrediantur.

Idem in vino, vel *pomaceo*, latitans venenum, facillime per *hepar ſulphuris* detegitur. Liquorem (probatorium vocant) in hanc formulam compoſitum Suecica pharmacopoeia habet.

℞ calc. viv. recent ℥i. auripigment. ℥ſs. aq. diſtill. ſimpl. lbſs. mixta digere, et per chartam cola.

Hujus paucułae tantum guttae vinum, ſeu quicquid fuerit probandum denigrando plumbum ineſſe indicant. Cum vero illud ex aliis quibuſdam cauſis colorem nonnihil

nihil obſcurum poſſit accipere ; unice certa ratio, (ut bene monuit ingenioſus Bucquet *) quid, quantumque plumbi ſit, diſcernendi, eſt multi liquoris probandi evaporatio, qua peracta, id metallicam ad formam redux innoteſcit.

* Hiſt. de la Soc. Roy. de Med. T. i. p. 356.

F I N I S.